ORATIO HABITA TERTIO DECIMO KALENDAS JUNII1741 A SANCTISSIMO...

Benedictus 14.>



quod ad commune Ordinis vestri bonum, & incrementum maximè spectat; eumque universo regimini præficeretis, qui cæteris virtute, sapientiâque præstaret: pro paterna tamen Nostra erga Ordinem Seraphicum charitate, ad hoc ipsum vos seriò cohortari, & præsentia Nostra quasi stimulos currentibus addere, & incitare voluimus.

Non ignoramus quidem optimis legibus, & institutis vestrum Sodalitium cùm à majoribus vestris, tùm à compluribus Romanis Pontificibus prædecessoribus Nostris, singulari providentia fuisse communitum, ut perpetuò nimirùm apud vos vigeret regularis disciplina, & vetus illa vitæ sanctimonia, quæ Seraphicum Ordinem per omnem ferè terrarum Orbem in ipso sui exordio tàm longè, latèque propagavit. At verò leges, & constitutiones, quotquot illæ sint, etsi rectè sapienterque institutæ, vim tamen omnem & robur amittunt, nisi eorum, qui præsunt, probitate atque exemplo roborentur. Componuntur enim Subditorum mores ad vitam Rectoris; cujus exempla sive ad bonum, sive ad malum non invitant modò, sed etiam quodammodò trahunt, atque impellunt. Quamobrem a Divino Oraculo opportunè admonemur (1). *Qualis Rector*

(1) Eccles. cap. 10.

ctor est Civitatis, tales & inhabitantes in ea. Florebit itaque inter vos innocentia morum, integritas vitæ, & omnes homine religioso dignæ virtutes, si virtutes ejusmodi in supremo capite vestro præluceant. Illud igitur vobis primò curandum est, ut universum regimen ei committatis, qui regularis observantiæ studio, & laudabilium operum exemplo, ad sanctè religiosèque vivendum, ceteris forma sit, atque incitamentum. *Quis sapiens*, interrogat vos per os nostrum Jacobus Apostolus (1): *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.* Ecce vobis non adumbrata quidem, sed quasi coloribus expressa optimi moderatoris imago. Qui nimirùm cæteris præclaro anteactæ vitæ exemplo præluxerit, qui gravitate morum, & maturitate sermonis se se ad aliorum utilitatem conformaverit, qui demùm lenitatem, & mansuetudinem Patris cum sapientia conjunxerit; hic erit profectò dignus, quem vos in ducem ac parentem vestrum communi animorum consensione cooptetis.

Quoniam verò, ut Sacræ Literæ nos docent (2): *Doctrina sua noscetur vir, qui* au-

(1) In Epist. cap. 3.

(2) Prover cap 12.

autem vanus & excors est, patebit contemptui; illud quoque præ oculis habere debetis, ut is inter vos auctoritate & imperio præsit, qui præter vitæ integritatem, solida etiam doctrina & eruditione sublimiori cæteris antecellat: ut ipse scilicet vobis sit quasi corona capiti, & ad dignitatem Ordinis vestri sartam, tectam conservandam, optimarum literarum studia in cœtu vestro tueri, quin etiam augere sapienter valeat. Alunt quippe doctrinæ studia pietatem, & communi quodam inter se vinculo colligantur. Nam ut Sapiens inquit (1): *Qui diligit disciplinam, diligit scientiam*. Quo autem pacto fieri possit, ut sub inerti atque indocto capite disciplinarum studia vigeant, floreantque? Imò valdè metuendum foret, ne ignavi homines doctis & scientia præclaris præponerentur, & inertissimus quisque audacia & vi in clarissimorum virorum jura ac dignitatem invaderet.

Sed a viris non minus consilio, quàm doctrina præstantibus, quales vos esse non ignoramus, quid aliud expectari umquam possit, nisi caput tùm scientia, tùm religione ornatum, iisque virtutibus propè instructum, quas

(1) Prover. cap. 12.

Su-

Supremi Moderatoris dignitatem maximè decent? Talem itaque vobis ducem, ac patrem unanimi consensu statuite, qui Beatissimum FRANCISCUM parentem ac legislatorem vestrum præ oculis habens: sanctissimam illam vivendi formam ita ipse referat, ut cæteros ad virtutem exemplo suo provocet; & doctrinæ splendore clarus ad promovenda in cœtu vestro humanarum divinarumque literarum studia animum intendat. Talem à vobis postulat moderatorem Ordo universus, vestra fide ac religione fretus. Talem postulant singularum Provinciarum vota, quæ per vos rem suam tantam agi voluerunt. Talem denique & Nos ipsi à Vobis enixè postulamus.

